
CONCIO DE PASSIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Excerpta

Ex tertio tomo Concionum, Stanislai Grodicij SOCIETATIS IESV.





CRACOVIÆ,
Ex Officina Nicolai Lobij.
Anno Dñi. 1609.

CONCIO DE PASSIONE DOMINI.

THEMA,

Ecce Homo. Ioan. 19. 5.

MAGNA equidem de causa, primus Prophetarum; qui Diuo Hieronymo Euangelium texuisse visus est, conscripturus eam; cuius hodie memoriam agimus historiam, ab his illam orditur verbis. *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?* Quibus quid aliud agit, quam admirationem in nobis excitat rei planè stupendæ? proinde infidelibus creditu impossibilis? nempè quomodo is de quo paulò post, inquit: *Generationem eius quis enarrabit?* ipse videlicet Deus, tanta & talia pati debuerat; qualia & ipse per spiritus prenotionem sciuerat, & nos iam præterita recolimus. Hæc ipsa verò post modum D. Paulus demirans, causamq; rei inuestigans inquit. *Vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impiis mortuus est?* Hos igitur & veteris & noui testa-

Exemplo Isaiæ Prophetæ. *Isaia 53. 1.*

Ibid. v. 8.

Tum Pauli Apost. *Rom. 5. 6.*

Ad admirat. impellimur

ui teſtamenti duces ſanctiſſimos ſequentes, eorumq; veſtigia præmentes, nos quoque; quòd ipſi admirati ſunt, ſuſpicere in animum

Thema ad id aptum.

induximus noſtrum. Ad quod præſtandum, iſtud quòd audiuiſtis thema, breuè quidem verbis; at longum ſenſu, aptiſſimum mihi

Quando à Pilato prolatum.

viſum eſt. Prolatum autem fuit, vt noſtis, à Pilato: qui poſt ſudorem ſanguineum; quem CHRISTVS IESVS Dominus noſter vberem in horto effudit: poſt captiuitatem, irriſionem, vapulationem, ac condemnationẽ eius ad mortem factam à Iudæis: poſt altercationem quoque; quàm ſatis longam habuit Pilatus cum eis; nec non, poſt miſſionem IESV ad Herodem, & remiſſionem ad Pilatum: imò poſt diram etiam flagellationem, coronationem, ac ſpecioſæ illius faciei enormem per frequentes alapas ac percuſſiones, perq; ſputa turpiſſima defædationem: poſt hæc, inquam, vniuerſa, & alia quæ vobis me-

Et quo fine.

ditanda relinquo, Pilatus volens ad commiſerationem populum Iudaicum inducere, producens IESVM extra Prætorium exclamauit; ECCE HOMO. Ac ſi diceret; tàm afflictus, tàm malè tractatus, vt an homo ſit vix diſcerni queat. Quomodo autem Iudæi hæc verba exceperint, in prima Concione diſſeruimus.

PROP: Bipartita.

Nunc verò non Pilatus; ſed nos: non ad Iudæos ſceleſtos; ſed primum quidem ad Deum Patrem; poſtea verò ad populum

Chriſtia-

Chriſtianum ea dirigemus : ſicq; in duas partes concionem hanc diuidemus. In quarum prima, tùm miranda diuina iudicia, cauſasq; illorum inueſtigabimus; tùm amorem eius erga genus humanum demirabimur. In ſecunda verò, tùm quiſnam homo iſte fuerit conſiderabimus, tùm ad redamandum illum nos excitabimus. Da Chriſte IESV id ita faciamus; vt amori tuo, quantùm in nobis eſt reſpondentes, redemptionis tuæ participes in æternum effici valeamus.

I. PARS, ECCE HOMO Pater æternę. Decretum datum pro Barabba cõtra IESVM.

Paulò antequam Pilatus verba hæc, ECCE HOMO, in medium proferret, ſteterunt coram tribunali, tùm ipſius Pilati, tùm Iudæorum, duo homines, alter Archilatro, & ſeditioſus & homicida, BARABBAS nomine; alter IESVS Archiſanctus: qui & mortuos ad vitam reuocabat, & pacificabat omnia. Quid factum ? Poſt concertationes, hinc & inde vltrò citroq; habitas, tandem tũ Iudæorum, tum præſidis ſententia, BARABBAS nocentiſſimus abſolutus; IESVS verò innocentiſſimus Cruci adiudicatus eſt ? Mirum, nec mirum. Mirum, tantam cœcitatem inuaſiſſe homines, & excellentes, & iudicio mundi prudentes. Etenim tum temporis homines orbis totius, in duas diuidebantur partes: in Iudæos, inquam, & in Ethnicos. Et Iudæorum quidem hic ſimpliciter erant omnium excellentiſſimi; nempè ſummus Pontifex, cum ſuo celeberrimo concilio ſan-

Mirandum.

 hædrin

hædrin dicto: ex Ethnicis verò fuit Pilatus, vices gerens Tiberij Imperatoris: cui tunc totus penè ſuberat terrarum orbis; quique vt eſt probabile; non niſi viris, quos iudicabat ſapientiſſimos, talia munia committebat. Mirum itaq; videri poſſet, tantos viros ad tantam iniuſtitiam delapſos fuiſſe: at ex parte altera, mirum non eſt, duplici nomine. Tum quòd iudicium iſtud hominum eſſet impiorum. atqui vtinam talia inter Chriſtianos, aut non reperiantur, aut rarius ſaltem quam fit, eueniant! tum, quod omnes iſti non noſſent, quis eſſet IESVS. Nam teſte D. Paulo; *Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Quare hæc duo è contrario admirationem à nobis propulſant.

Nec mirandum.

1. Cor. 2. 8

Verumenimverò hoc ſtupendum planè ſupra modum eſt. Stetiſſe ad tribunal ſanctiſſimi, iuſtiſſimi, ſcrutantis *corda & renes* cuius *oculis omnia nuda & aperta ſunt* Dei; vna quidem ex parte, primum omnium parentẽ Adamum, cum tota ſua progenie, nempè cũ *peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, patricidis & matricidis, homicidis, fornicarijs, maſculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris,* nec non incredulis, Idololatris, blaſphemis, hiſq; ſimilibus innumeris. Ex altera verò parte; ſtetiſſe CHRISTVM IESVM, verbũ æterni Patris carnem factum, puriſſimum, innocentiſſimum, virtuoſiſſimum; in quo nec peccatum vllum fuit, nec eſſe potuit: & ecce profer-

At decretũ datũ à Deo pro Adam cum omnibus ſceleratis contra IESVM.

Pſal. 7. 10.
Heb. 4. 13.
1. Tim. 1. 9.
Ioan. 1. 14.

profertur decretum ex ore altiſſimi; vt ille quidem cum omnibus ſuis abſolueretur; hic verò pænas pro eis lueret. Quo teſte? Ipſomet Deo; cum per Prophetam inquit; *propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Et Apoſtolo Paulo, qui de eodem loquens Deo, ait: *qui etiam proprio filio non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quid hîc audio? Quid cogito? Quid dicam ad iſta? Mens obſtupeſcit, animus deficit, hæret lingua, tremunt labia,: ſed animat me alter Propheta, his verbis alloquens Deum: *Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum; verùm tamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt?* Eſt ſanè quod demirare ô Propheta; Deum impios exaltare, pios deprimere: Sanctos pati, ſceleſtos verò, qui eos affligunt, lætari: ſed audi nunc, ni ego fallor, longè quid mirabilius. Non ſolùm enim proſperantur hic impij; quod tu miraris; ſed etiam ab omnibus ſuis impietatibus abſoluuntur; ſi volunt: iuſtus autem, innocentiſſimus, Filius deniq; Dei, morti turpiſſimæ adiudicatur; vt illorum perſoluat debita, vtq; Patri æterno pro ijs ſatisfaciat. Quis audiuit talia? Quis ad hæc non obſtupeſcat? Quis nodum iſtum diſſoluat? Nam ad illud tuum ô Propheta, reſponderi poteſt; proſperari hic impios, vt cum diuite epulone in æternum puniatur: pati verò hic pios, vt cum Lazaro gaudeant

Iſa. 53. 8.
Rom. 8. 32
Stupendum ſanè.
Quod ſi ſtupebat Ier. proſperitatē impiorū. *Ier. 12. 1.*
Hoc magis mirandum.
Nam illud ſoluitur hoc non tam facile.
Lu. 16. 22.

æuiternè. (Audiant hæc & intelligant quos parabola tangit) at verò dari pium pro impio, à pio & iusto iudice Deo, quis intellectus capiat?

Dei iudicia alta.

O Pater æterne, ô Deus sapientissime; quàm alta sunt iudicia tua, & quis poterit ad ea? Si enim Prophetam minora angebant; qui nos grauiora & difficiliora non turbent! Quare sine me paucis tecum loqui, & parce, si quid insipienter effutiuero. Quid est quod tu pro nobis sceleratis, filium tuum ad tanta tormenta, quanta hodie recolimus, & ad ipsam mortem crucis turpissimam tradideris? Nonne in lege tua scriptum est; *Insontem & iustum non occides?* Quis innocentior ipsa innocentia: quis iustior CHRISTO IESV? An oblitus es, qui nihil obliuisci potes; quòd per Prophetam dixisti: *Filius non portabit iniquitatem Patris*: displicuitq; tibi olim Iudæos vertisse, *parabolam in prouerbium dicentes; Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Nunc verò filius tuus portat iniquitatem & patrum & filiorum & omnium, & pro pomo acerbo, quòd comederunt primi parentes, dentes filij illorum IESV ab aceto & felle minis obstupescunt. O stupor, ô iudicia! Audiui quidem te dicentem; *propter scelus populi* illum percussum fuisse. At hoc non tollit, sed auget difficultatem. Nam iterum iterumq; peto & repeto: cur pro me meiq; similibus hominibus nequam, innoxium fi-

Vrgetur difficultas.

Exo.23.7. Insontem non esse damnandum.

Eze.18.20 Vnum pro alio non esse puniēdū. Ergo.

Ibid.Ver.2

um filium tuum tali morti adiudicasti? Etenim vel sunt tibi homines necessarij, vel non. Si sunt necessarij, (quòd non puto) perde hos impios; & crea pios. Recordor te propter peccata carnalia olim dixisse; *Delebo hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vsq; ad animantia, à reptili vsq; ad volucres cæli: pœnitet enim me fecisse eos:* delestiq; omnes, præter octo personas: hic verò cum sint scelera maiora, dele omnes & parce filio tuo sanctissimo, & innocentissimo: Sin verò non sunt tibi necessarij homines, prout non sunt; cum sine illis beatus fueris ab æterno; cur adeò affligis vnigenitum tuum, dilectum tuum, in quo tibi bene complacuisti? An non hunc occidere, maius & grauius est cæteris peccatis vniuersis?

Homines potius delēdi omnes vt & rei, & nō necessarij.

Gen. 6. 7.

Mat. 17. 5

Parce mihi Domine, parce benignissime. Bonitas & altissima iudicia tua; malitia vero mea: innocentia dilecti filij tui; nequitia verò generis humani, cogit me isthæc loqui. Neque verò ego volo disputare tecum, *aut contendere*; cum sciam me non posse tibi *respondere vnum pro mille*: Sed volo demirari, facta tua, & ea quæ tu dederis communicare populo tuo; vt pariter omnes & timeamus iudicia tua secretissima, & ad amorem tui amore tuo exstimulemur: Itaq; testor inprimis, contra omnem hæreticorum perfidiam; me tenui & penè nullo ingenio & iudicio meo nolle metiri incomprehensibilia iudicia

Causæ huius considerationis.

Iob. 9. 3.

Hinc tria.

1. Protestatio.

Dei; multò minus autem naturam & essentiam ipsius proteruè inuestigare; sicut nunc proh dolor quidam qui se Christianos vocant, peius quàm olim Philosophi Ethnici faciunt.

2. Admonitio

Deinde moneo omnes mihi in Christo charissimos, vt vos quoque idem faciatis: & tum iudicia vestra iudicio Ecclesiæ, & eorum quos CHRISTVS IESVS ei præfecit, submittatis humiliter: tum iudicia diuina metuatis grauiter, neque dicatis vt soletis: Quid est hoc? quantulum est istud peccati? num propter hæc irasci deberet Deus? istané adeò vt dicitur punientur? & his similia, quæ conscientiæ vestræ, & sermones quotidiani norunt. Abstinete ab istis obsecro, considerantes; quæ & quales sint censuræ diuinæ.

3. Veræ causæ mortis Christi & diuisio sequentiũ.

Postremò dico vt in omnibus diuinis actionibus; ita etiam in ista; imò multò magis in ista, non esse iniustitiam, sed iustitiam esse: non crudelitatem; sed misericordiam: non insipientiam; sed summam sapientiam. Esse insuper & exaltationem IESV, & summam erga nos charitatem eius ac dilectionem. Hæ sunt causæ mortis Christi ex parte Dei; quas demiror, quas laudo, quas exalto: vtq; vos idem faciatis, rogo & moneo. Præsentes estote, & animis & auribus, dum hæc excutio: dabit Deus, & mihi sufficienter loqui, & vobis vtiliter audire.

PROBAtio dicti.

Itaque percurram inprimis hæc puncta: postea exemplo & antithesi dicta illustrabo: vt om-

vt omnes, quantùm fieri potest rem intelli- 1.
gant, nosq; scopum nostrum attingamus. Fa- Non esse in-
xit IESVS. Porrò nullam hic esse iniustitiã iustitiam.
patet. Nam quicquid volenti; imò vltro sese
offerenti fit, non iniuste fit. Ita verò hic se
res habuit, teste & nouo & veteri testamen- Quia vltro se obtulit
to. In hoc (inquit) Propheta *oblatus est; quia* Christus.
ipse voluit. In nouo verò, ipse IESVS ait: *Isa. 53. 7.*
Pono animam meam, (vitam videlicet. Id e- Teste propheta &
nim anima frequentissimè in scriptura signi- ipso.
ficat) *vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à* *Io. 10. 17.*
me. Quid? nonnè violenter Iudæi cũ Ethni- NOTA.
cis tibi illam abstulerunt? Imò, nonnè ipse
Deus Pater id ita fieri voluit? Respondet IE-
SVS: *Ego pono eam à meipso: & potestatem habeo*
ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi
eam. Quapropter tam respectu Dei Patris,
vltro me expono ad omnia (quòd paulò an-
tè illis testatus est verbis; *propterea diligit me*
Pater; quia ego pono animam meam: id est, quia
voluntariè me ad hæc obtuli) quam respectu
impiorum, libere ago vniuersa: nisi enim e-
go voluissem, illi ne vnum quidem capillum
capitis mei euulsissent: Laudemus igitur &
gratias agamus eius charitati dilectissimi, qui
nostri causa tanta ex puro suo amore suscepit
& sustinuit. Non fuit igitur hic iniustitia vl- 2.
la; sed fuit iustitia exactissima, per quam si- Non esse autem iustitiã
cut Pater pro peccatis Adæ ac posterorum e- rigidissimã.
ius omnimodam exegit satisfactionem: ita
[illegible]us assumpta in se eadem quæ peccauerat

natura,

natura, tam rigidæ per omnia Patris respondit desiderio; vt nihil penitus posset require re amplius. O mira & miranda diuina dispositio! Pari ratione nulla hic fuit sæuitia. Nō
3. Non esse crudelitatē. enim ad qualemcunq; satisfactionem pręstādam filius patri se obtulit; sed ad eam quam hodie deuota & amara mente recolimus. Quę causa? Duplex. Altera iam dictus rigor iustitiæ. Nam quemadmodum homo omnibus, tum corporis tum animæ viribus, potentijs, affectibus, sensibus, membris diuinam offendit maiestatem; ita Deus Homo factus, in omnibus istis pati, Patriq; pro nobis satisfacere voluit. O iustitia, ô misericordia stupenda! Alteram causam assignat Da-
Ps. 129. 7. uid; nempè, vt esset *copiosa apud eum redemptio.* voluit enim copiosè, & abundanter, & superabundanter pro nobis satisfacere: quod
4: Sed esse misericordiā. & fecit. Non crudelitas ergo, sed bonitas & misericordia fuit infinita; quam exhibuit erga genus humanum amator hominū homo Deus; tum miserendo nostri, qui aliâs in æternum perijssemus: tum omnia quæ commeruit liberaliter donando nobis, benedictus in secula.

Exemplo simili hęc declarantur. Declarari & explicari hæc possunt exemplo principis, vel regis alicuius; qui videns populum suum in periculo internecionis positum, ipse se pro illo opponeret: & singulari inito cum hoste certamine, licèt ipse multis confectus vulneribus occumberet; ita tamen rem

men rem ageret, vt & victoria penes eum remaneret, proſtrato contrariæ factionis principe: & populum ſuum non ſolùm liberaret, ſed etiam exuuijs hoſtium abundanter ditaret. Quanta eſſet huius Principis erga populum ſuum, tum miſericordia, tum charitas, tum liberalitas? Idipſum hic à CHRISTO IESV factum omninò vides; eo inſuper addito, quòd & vltro tot tormenta ſuſcepit, cũ ab illis liber eſſe poſſet. & non populo tantũ ſuo, ſed etiam ſibi inde aliquid in aſſumpta natura acquiſiuit emolumenti. Etenim propter hanc humiliationem IESV *vſq; ad mortem crucis*, teſte D. Paulo; *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen; quod eſt ſupra omne nomen: vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Proinde hæc eſt quoque vna ex cauſis, ex parte, Dei paſſionis Chriſti.

5. Eſſe inſuper exaltationẽ nominis IESV.

Phi. 2. 8.

Præterea non eſt hic inſipientia; quæ videri poſſet in eo, quòd excellentior perſona, pro viliori ad tormenta ſubſtituitur: ſed eſt ſumma ſapientia; quòd tum ex iam dictis, & exemplo allato clarum; tum ex ſequentibus clariſſimum euadit ttiplici nomine. Principio, reſpectu Sathanæ: qui ſicut in ligno vicerat; ita ſapienter modo ſimili in ligno victus eſt: vt canit Eccleſia. Quod futurum prænotauit ipſe Deus, dicens Iobo. *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?* Ac ſi diceret: tu quidem id facere non va-

6. Non inſipiẽtiam ſed ſapientiam eſſe tribus modis.

Tum reſpectu Sathanę

Iob. 40. 20

non vales; at veniet, qui perficiet: nempè Filius meus homo factus; qui Leuiathan, id est dæmoni obijciet humanitatem, qua ipse pasci asuetus est: cumq; eam Sathan inuaserit, & deuorare tentauerit, ab intus latente diuinitate tanquam hamo, & capietur & extrahetur, perdetq; ius quod habuit erga nocentes; eò quòd innocentem afflixerit: sicq; fune ligabitur lingua eius, vt per suggestiones suas tantum, quantùm antea non queat nocere. Id hodie per CHRISTVM IESVM in Cruce, sapientissimè factum est. Secundò apparet sapientia respectu Dei, & generis humani. Sapientissimè enim prouidit incommodo illi, quòd subsecutum fuisset; si per creaturam (per quam tamen, eo quò nunc modo; nempè ex rigore iustitiæ, peragi non potuisset) redemptio perfecta fuisset. Quid verò erat istud incommodi? Magnum sanè. Tunc enim homo creationem quidem sui, & quod habet esse naturale Deo creatori: redemptionem verò; & esse supernaturale, creaturæ illi, à qua redemptus fuisset adscripsisset. Cuius rei inconuenientiam quis non videt? Postremò elucet sapientia, respectu omnis creaturæ. Conuenientissimum enim erat, vt sicut per verbum facta sunt omnia; ita per verbum restaurarentur omnia. Quo aspexisse videtur Paulus, cum inquit: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, &c. per paßionem consumari. Qui enim sanctificat,*

Tum respectu Dei & redemptioni.

Tum respectu omnis creaturæ.

Heb. 2.10.

ctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes. Omnia enim in cælo, & in terra per passionem IESV, & per sanctificationem, & alia quæ inde profluunt restaurantur. præsertim cum in homine aliquid sit omnis creaturæ; vt & S. Patres, & ipsa ratio docet. Deniq; charitas Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, erga genus humanum, ita hic declaratũr & resplendet; vt huic cum primis attributo, totum hoc negotium adscribere videatur Apostolus; qui cum dixisset: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*: paulò post subdit. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Est igitur quod diuinæ ipsius bonitati gratias agamus: est quòd amorem pro amore reddamus: est quòd sanctissimam ipsius iustitiam, misericordiam, sapientiam, & charitatẽ, cõtra infideles & impios defendamus.

7. Esse hic specimen maximæ in nos charitatis Dei.

Rom: 5. 5.

Ibid. Ver. 8.

Id verò, quia pro nostra virili parte iam fecimus; nunc ad Deum Patrem sermonem nostrum conuertamus: & tum dicta & thema antithesi declaremus; tum affectus, cum primis verò amorem nostrum ad gratias exhibendas Deo in nobis excitemus: tum misericordiam diuinam ad miserendum humano generi flectamus: Vnde verò ordiemur? Ab ipsa rerum omnium creatione. Duas crẽaturas excellentes condidit Deus; nempè Angelum & hominem: quæ cum sint ratione præ-

Pathos ad commouẽdam misericordiam Dei.

Historia creationis.

ne præditæ, solæ illum agnoscere, amare, & laudare possunt in æternum. Reliqua verò quæ cæli & terræ ambitu continentur; ad subsidium hominis creata esse nostis. Quid verò postea factum fuerit; ne id quidem ignoratis: nempè eam quæ prior creata fuit, non quidem totam; bona tamen ex parte duce Lucifero, propter suam superbiam, qua similitudinem Dei appetiuit corruisse: indeque ex pulchro Angelo, fœdum dæmonem factũ esse. Creata est postea altera, humana videlicet; quæ prioris sedes in cælo occupare, & supplere posset. Id videns Lucifer, ringitur, & fert ægerrimè: ac proinde in forma serpentis appropinquans Euæ, cum ea sermones miscet; suadet, vt neglecto diuino mandato, comedat de fructu ligni vetiti; promittens mendaciter, si id cum marito fecerint, eos futuros *sicut* Deos, *scientes bonum & malũ.* Quid multis? Persuadet mulieri; cui Adam condescendens, comedit pariter cum ea: & incidunt in miserabilem quendam statum. In illum videlicet; quem postea descripsit Dauid, dicens, & bis in eodem Psalmo repetens: *Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est eis.* Atqui vtinam similis tantum; & non deterior & miserabilior ijs: sed proh dolor; resonant in auribus verba, quæ Filius Dei heri ad Iudam & de Iuda protulit, dicens: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille:* quòd de omnibus præ-

[Margin notes: Casus Angelorum. — Casus hominis. — *Gen. 3.* 1. Homo post casũ miser. — *Psal. 48. 13. & 21.* — 1. Sine honore — 2. Similis bestijs — 3. Imo ijs miserior.]

bus præuaricantibus legem Dei, & non pœnitentibus, recte intelligitur. Quare possumus nos nostro modo hic quoque exclamare: ECCE HOMO, qui voluit habere scientiam diuinam, & factus est bestia insipientior: qui similis Deo esse ambiuit, & bruto animali deterior euasit. ECCE HOMO, delusus à dæmone, accusatus ab Angelis, irrisus à Deo. Quomodo? Miro sanè modo. Indutũ enim veste pellicea ridet: & inquit vna, ad alias diuinas personas: ECCE *Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* O misera hominis conditio! O quam funestum est non obedire Deo creatori suo, etiam in ijs quæ res minutæ esse videntur? Quid ergo? *Nunquid in æternum proijciet Deus, aut non apponet vt complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet*, & vno ictu perdet totam humanam naturam; quã ad imaginem & similitudinem suam condidit? ECCE HOMO: O Deus omnipotens & misericors, miser & miserabilis homo: miserere igitur ipsius, adeò abiecti, adeò humiliati. Dignus est enim comiseratione & misericordia homo: qui licèt voluntariè; non ex malitia tamen, vt Sathan; sed ex fragilitate delusus ab alio peccauit. Facerem respondet Deus; sed obstat iustitia, cui vt fiat per omnia satis necessum est. Hic intercessit colloquium inter diuinam, tum iustitiam, tum misericordiam, & alia his similia pulchra;

4. Delusus à dæmone.

5. Accusatus ab Angelis

Gen. 3. 22.

6. Irris' à Deo.

Ps. 76. 8. Misericordia Dei imploratur.

Causa additur, sed

Obest iustitia.

Bern. ser. 1 de Annũ. B. V.

quæ sancti contemplantur, præsertim D. Bernardus, qui videndus erit: nos verò ea omittimus, ne nimium longi simus: Itaq; pergo & dico. At quis obsecro ò Deus, iustitiæ tuæ pro tam graui & iusta offensa respondere poterit? Num aut Angelus, aut quæuis similis natura? At indecens omninò videtur; vt alia peccante alia reconciliet. Num eadem? sed *non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum.* Et verò, *si ab immundo,* teste scriptura, nemo *mundabitur*; quantò magis nemo redimetur? An verò aliquem hominem innocentem creabis? At ne hac quidem ratione quicquam efficiemus; iuxta illum quem tu requiris iustitiæ rigorem. Quomodo enim pro culpa in illum, qui dignitatis est infinitæ, commissa, à finita creatura fiet satis? O quàm vndiq; ab hac tua iustitia constricti sumus, Deus omnipotens! O deflendum & miserandum statum nostrum, Deus misericors!

Nec est qui ei satisfaciat. *Ps. 13. 2.* *Eccl. 34. 4*

Itaque petimus, vt tu ipse quæras illum, qui id præstet: O omnia sciens Deus. Quære obsecramus. *Quæsiui,* respondet per Prophetam, *virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; & non inueni.* O nos miseros! Quid igitur facies? Ait; *Et effudi super eos indignationem meã.* Expecta Domine, expecta obsecro misericordissime Pater, & ne perdas quod creasti. Expecta ne effundas iram tuam: quis enim finitus furorem tuum infinitum sustinere poterit?

Quæritur qui soluat. *Ezech. 22. 30.*

Deus olim non reperit ideo vult irasci.

rit? Audi & exaudi, & miſerere. Etenim fortè nos inueniemus illum. Tu non inueniſti: quia tum temporis nedum reperiebatur, at nunc eſt qui id faciat, & abundanter perficiat. Quiſnam? Is de quo Pilatus: ECCE HOMO: quem olim Prophetes tuus vocabat bis hominem, dicens: *Homo & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus*. Eſt ergo non ſolùm homo, ſed & Deus altiſſimus, tibi conſubſtantialis, connaturalis, coæternus: hic iam & natus, & paſſus eſt pœnas crudeles, pro genere humano. ECCE HOMO. Quæſiuiſti ô Deus iuſtiſſime *virum, qui interponeret ſepem*; ECCE HOMO pendens in cruce: ſeps enim ex lignis fit. Quæſiuiſti, qui *ſtaret oppoſitus contra te pro terra*, & auerteret iram tuam: ECCE HOMO; qui quia homo eſt, terræ aliquid habet: quia verò etiam Deus eſt; poteſt tibi per omnia ſatisfacere, in ſummo iuſtitiæ rigore. En ſe opponit in aëre, maximis cum doloribus, pendens inter nos & te, *Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus* IESVS: *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. Ne diſſipes igitur terram; ſed miſerere. Offendit te ille homo, reconciliet te iſte homo. Ille homo à ſerpente eſt ſeductus: ECCE HOMO, qui decepit ſerpentem, obijciens ei formam ſerui, & capiens illum forma Dei; vt iam dixi. Ille homo fuit accuſatus ab Angelis, propter peccatum: ECCE HOMO, quem ſuo modo deflebant Angeli,

Inuenimus iam nos.

Eum de quo Pilatus, ECCE HOMO qui abunde ſatisfaciet: quia

Pſ. 86. 5.

1. Eſt etiam Deus.

2. Ponit ſepē.

3. Opponit ſe in aëre.

4. Mediator eſt.

1. Tim. 2. 5.

5. Serpēnti illudit.

6. Angelos ad fletū commouet.

7. Rideri à Deo non poteſt. geli, cum deleret peccatum. Ille homo indutus pelliceis, irriſus eſt à te ô Deus Pater: Ecce Homo, nudus pendens in Cruce,
Iſa.33.7. qui rideri non poteſt; cùm ſit tibi per omnia
Gen.3.22. par & æqualis. Ille homo, cum tota poſteri-
8. Nec ſubeſſe dæmoni. tate ſua fuit in poteſtate dæmonis; qui ad innumeras myriades ſcelerum & peccatorū eum impulit: Ecce Homo, in quo *prin-*
9. Sapientiſſimus, &c. *ceps tenebrarum* nec *habet* nec habuit vnquam *quicquam*. Ille homo inſipiens, & ſimilis beſtijs factus eſt. Ecce Homo, qui ipſa eſt
Heb.1.3. tua ſapientia, *& figura ſubſtantiæ tuæ*. Audiui,
10. Qui poteſt mittere in piſcinam. ô Pater Omnipotens, conqueſtū fuiſſe olim quendam ſe non habere hominem, qui illū mitteret in piſcinam, quinq; porticus haben-
Ioan.5.7. tem, quando commouebatur aqua; vt ſanitatem reciperet: quæ quidam ſanitas, non aliunde quam à te proficiſcebatur. At nunc, Ecce Homo, qui non ſolùm poteſt nos mittere in piſcinam; ſed ipſe factus eſt nobis eiuſmodi piſcina, quinq; porticus habēs; duas in manibus, duas in pedibus, quintam verò in latere dextro: quæ etiam mouetur perpetuo & inceſſanter: continuo enim merita ipſius ſtant in conſpectu tuo.

Pſ.84.10. Conclusio offerendo Patri Filiū & miſericordiam implorādo. Quapropter clamo cum Propheta. *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui*. Nos quidem peccauimus ô Pater Sancte, at ecce is qui non peccauit & pro peccatis omnium ſatisfecit, quem tu ipſe *peccatum*
2.Cor.5.21 feciſti vt nos à peccatis liberares, Aſpice igitur il-

tur illum & miſerere noſtri. *Reſpice* obſecro *in faciem Chriſti tui*, & vide oculos liuidos, aures ſpinis confoſſas, genas conſputas, labia pallentia, linguam arentem, vocem raucam, guttur amarum, caput vulneratum, totum corpus lancinatum, animam afflictam nimis: deniq; manus pedeſq; clauis confixos, & latus inerme crudeli lancea vſq; ad cor transuerberatum. Hæc inquam intuêre. O iuſtiſſime Deus: & condona; quicquid oculis noſtris procacibus, lingua blaſphæma, manibus rapacibus, pedibus currentibus ad faciendum mala; omnibus deniq; ſenſibus, affectibus, potentijs, membriſque tuam offendimus iuſtitiam & bonitatem. Parce Domine parce & miſerere ijs, quos filius tuus precioſo ſuo hodie emit ſanguine. Nonnè de te ſcriptum eſt; *non vindicabit bis in idipſũ.* Vindicaſti igitur & puniuiſti hæc omnia in filio tuo; ne ſecundo adijcias puniri ea in nobis, iuſte, & in dictis veraciſſime Deus. NOTA. *Naum 1. 9. iux. 70.*

Tu verò ô pop: Chriſtiane; ad te enim meum iam conuerto ſermonem: quid hæc audiendo cogitas? quæ mens, quis animus eſt tibi? Audiſti quid Deus tui amore egerit; quid tu viciſſim ipſius cauſa facies? Adhucné in peccatis manebis? adhucné in ſceleribus ſordeſces? adhucné tantorum beneficiorum ingratus eris? Quid? putaſné, quia audiſti Deum non vindicare bis in idipſum, te iam peccantem & non reſipiſcentem à pœnis libe- II. PARS. ECCE HOMO, ô Chriſtiane. Quomodo Deus non vindicat bis in idipſum.

 rum fo-

rum fore? O quàm stultę erras, si id sentis. Eorum enim tantum peccata vindicantur in Christo, qui fide & charitate coniuncti sunt Christo: quòd si alterutrum tibi deest, non bis, sed semel ea puniet Deus: nec in alio, sed in temetipso: nec temporaliter, vt in Christo; sed in æternum, vt in inimico Christi. Vide igitur quid agas, & consule tibi, ac reconciliare, quæso, per sacramenta Christo; vt meritorum & pœnarum ipsius particeps esse queas.

Scopus sequentium & propositio quadripartita.

Cæterum, vt & me, & vos omnes mihi in Christo charissimos ad compunctionem, cum illam quæ ex timore & dolore; tum eã quę ex charitate & amore prouenit, excitem, ad singularia descendo: & ostendo, tum quisnam sit iste de quo ait Pilatus; ECCE HOMO: tum quænam nostri causa sustinuerit: tum quò cum amore hæc perfecerit omnia: tum denique quid nos ei retribuêre debeamus.

PRIMO quis fuerit iste homo, nempè Homo supra homines; quia Deus.

Itaque clamo ad te ô pop: Christiane: ECCE HOMO CHRISTVS IESVS. Homo inquam, supra omnes homines: quia etiam Deus: vt modo ex Dauide audiuisti. cui adstipulatur alter Prophæta dicens. *Hic est Deus noster.* Quid verò hic Deus noster fecit? Respondet. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Nôris ergo de quo nobis erit sermo, quantus ille sit. Is videlicet, *per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil,* teste nostro Ioanne. Qui brachio

Bar. 3. 36.

Ioan. 1. 3.

suo &

ſuo & manu excelſa, quæ non operatus eſt miranda & mirabilia? Nunc verò manus iſtæ, en clauis cruci affixæ ſunt. O ſtupor! Propterea clamo ſecundo: ECCE HOMO: non ſolum Deus ſed & homo verus: homo quia carne & anima conſtans: quia *per omnia fratribus* aſſimilatus, teſte Paulo: quia ingentes dolores ſentiens; vt tum ex agonia, tum ex tota hiſtoria hodierna patet. Deniq; vtrumq; hoc, ECCE expreſſit Ioan. cum inquit. *Quod fuit ab initio:* quibus verbis diuinitatem eius ab initio, ſine initio exiſtentem notauit: de humanitate verò ſubnectit dicens: *quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt.* Hæc enim omnia hominis ſunt propria. Cæterũ, cogita quæſo, hunc ipſum hominem, etiam ſecundum naturam iſtam, non qualemcunq; hominem fuiſſe; ſed ortum fuiſſe ex proſapijs, quibus in mundo nihil fuit excellentius. Progenitus eſt enim à Patriarchis, Prophetis, & à Regibus. Scias igitur, non ſolùm ex primo, quatenus Deus eſt; ſed etiam ex iſto capite, quiſnam fuerit hic, qui talia qualia hodie recolimus, propter nos & propter noſtram ſalutem ſuſtinuit. Quid verò ſuſtinuit? Reſpondet Propheta. *Cornua in manibus eius.* Stupendum quid ſanè: quis enim audiuit vnquam, aut hominem vllum in manibus, aut etiam beſtiam vllam, in anterioribus pedibus, qui illis loco manuum ſunt, cornua geſtaſſe?

Homo cum hominibus quia homo verus.

Heb. 2. 17.

1. Ioan. 1. 1

Attamen ex illuſtriſsimis proſapijs.

Contemplare ergo quis patitur.

Hab. 3. 4.

SECVNDO Quæ nostri causas sustinuit. Est certè quod miramur, propterea audi tertium: ECCE HOMO: nempè Homo non homo. Quid sibi hæc contraria volunt? Homo non homo. Non mea sunt; sed ipsius Dei in scriptura expressa. *Psal. 21. 7.* Hominem illum esse iam audiuisti: non hominem verò nominari, audi ex ore ipsiusmet IESV dicentis. Sed vermis. *Ego autem sum vermis, & NON HOMO.* Audis quomodo & non hominem se esse asserit, & vermem se esse ait? in illo Psalmo qui totus est de Passione ipsius, quique ab illis verbis incipit: *Deus, Deus meus quare me dereliquisti*: Quæris fortè cur se vocet vermem? Tribus de causis. Respondeo; multas huius rei dari à Doctoribus causas & rationes: at nos tribus contenti erimus; quas ex historia hodierna libabimus potius, quã tractabimus. Primo quia abominabilis factus & attritus vt vermis. Itaque primo vermis proprium est horrorem quendam incutere hominibus; indeq; abominationem. Quo fit vt siquidem vermis ille magnus fuerit scindatur, & in multas secetur partes: si verò paruus, conspuatur, vexetur, ac tandem pede ita conteratur; vt quidnam fuerit non agnoscatur. Abominationem expressam habemus in sequentibus Christi verbis. Postquam enim dixisset se esse vermem, subiungit; *opprobrium hominum, & abiectio plebis*: nempè factus sum. Id verò nos in actu hodierno tam clare videmus, quàm quod clarissimè. Tanganius aliquot capita, vnde & iam dicta, & cætera eiusmodi appareant. Incipiamus autem ab ipso hor-

1. In horto multis nominibus.

pso horto. Ibi enim IESVS tum facie, tum toto corpore hæret terræ, ad instar vermis: ibi ter eundo & redeundo ab Apostolis mouetur,& gyratur præ angustia, vt vermis: ibi denique desudat, sanguine: quòd an aliquis vermis faciat nescio: illud scio, eum tum temporis vix formam hominis habuisse. & propterea ministri, qui ad capiendum eum venerant: imò fortè & ipse Iudas, eum non agnouerunt, donec diceret: EGO SVM: licet alias fuerit eis bene notus. O mira diuina dispositio. O stupenda humilitas & charitas tua, erga nos bone IESV: qui vermis fieri voluisti; vt & nos sciamus, quomodo nos pro vermibus reputare,& vermiculi vermiculum diligere debeamus. Fac omnipotens vt faciamus.

2. In itinere & apud Iudæos.

Ducitur inde Dominus IESVS noctu per saxa: imò vt contemplatiui meditantur; corruens præ impetu, ab illa incitata & furiosa lictorum turba trahitur per terram, vt vermis: totaque illa nocte identidem percutitur, vt vermis: conspuitur vt vermis: calcibus petitur vt vermis: ac demum velatur facie, ne quisnam sit agnosci queat. At verò in prætorio apud Pilatum, multo plura talia habemus. Obmutescit ad accusationes aduersariorum; vt piscis & vermis. Data deinde à Pilato, sicut iniqua ita sæua sententia; vt licet innocens, flagellaretur tamen, spoliatur vestibus suis, & nudus apparet, sua tantum

3. Apud Pilatum, in flagellatione. &c.

pelle contectus, vt vermis: tum innumeris pæne flagellorum ictibus discinditur caro IESV, vt dissecari consueuit caput serpentis, vel alterius vermis: conspuitur denuò vt vermis: arundine caput feritur, vt vermis: ad extremum ita in corpore & facie laceratur & defædatur, vt an homo sit, vix dignosci possit: indeque vt iam diximus, hæc verba Pilati: ECCE HOMO processerunt. Quo tempore illud Isaiæ expleri cœptum est: *Non est ei species, neq; decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum: Despectum & nouissimum virorum: virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus: vnde nec reputauimus eum.* Ita vt & ipse Ethnicus homo, Idololatra, vix eum pro homine agnosceret. Hæc verò omnia tui causa, ô popule Christiane facta sunt. Proinde clamo: ECCE HOMO: NON HOMO; sed vermis, propter te tam male tractatur: & vt vermis disscissus, & pede quasi attritus est. O anima Christiana, Vide ergo quid illi respondeas gratitudinis causa.

Vbi incipit expleri prophetia.

Isa. 53. 2.

4. Sed nondum finis. itur & peruenitur ad montem Caluariæ, vbi eiusmodi multa visuntur: fessus, & præ onere corruens in terram IESVS, vna cum Cruce, vt quidam volunt, iterum trahitur vt vermis: postea non misericordia; quia omninò ea caruit gens illa impia, permota; sed timens, ne si IESVS in itinere moreretur, ipsa suo frustraretur desyderio,

In monte Caluariæ maxime.

ſyderio? quo ardebant, vt viuus cruci affigeretur, crucem ferendam imponunt alteri: IESVS verò ducitur, & perducitur ad locum extremi ſupplicij : vbi denuò non iam aliquibus tantum, vt prius; ſed omnibus omninò viſendus exponitur, nudus, vt vermis : poſtea ſtipiti, ſeu cruci imponitur, & in ſignum erigitur; vt olim ſerpens ille Moſaicus : quã figuram ipſe CHRISTVS IESVS ſibi applicat. Serpentes autem genus quoddam vermium eſſe quis ignorat? deniq; ita affligitur & atteritur; vt ibi demũ Prophetia Iſaiæ, quã iam attulimus perfectè impleta fuerit. propterea paulò poſt idẽ ſubiũgit; *& Dominus voluit conterere eũ* : nempè quemadmodũ vermis pedibus conteritur, vt quid fuerit vix agnoſcatur : ita ſuo modo Dñs. IESVS. Dicitur autẽ ſic voluiſſe Deum illũ cõterere: quia conterendum Iudæis & Ethnicis permiſit: imò ſuo modo tradidit. Itaq; iterũ clamo : ECCE HOMO, ô Chriſtiane, propter te ſic contritus; vt quaſi NON HOMO æſtimaretur: Intuêre igitur illũ: deſpectus fuit à ſuis Iudæis, ob quos inprimis venerat: ſit honoratus tibi, qui in eorũ locum ſucceſſiſti : viderunt eum illi, *nouiſſimũ virorũ* : videas tu eum præſtantiſſimũ omniũ, qui fuerunt, ſunt, & futuri erunt hominum. Aſpexerunt illi eum, *virum dolorum & ſcientem infirmitatem*; noris tu quoque tum condolere ei; tum dolores pro illo etiam voluntarios ſuſcipere: tum ſcire &

Num. 21. 9 Vbi & figura Moſis.

Io. 3. 14.

Iſa. 53. 10. Et dictum Iſaiæ perfectè completur.

Cohortatio

portare

portare infirmitates aliorum. Fuit illis *absconditus vultus eius*; sit tibi apertus, vt illum noctu atq; interdiu intuêaris, & ad normam eius vitã moresq; tuos dirigas: deniq; ipsi nõ reputauerunt eũ; tu reputa, & adora, vt Deum, vt redemptorem, vt conseruatorem, vt authorem salutis tuæ

Secundò, vermis fuit quo captus est Leuiathan. *Iob*.40.20

Deinde vermem se vocat: quia ipso tanquã vermiculo captus est Sathan, & ligatus: sicut ex Iob audiuimus. Nostis enim, eũ qui piscem hamo capere desiderat, hamũ vermiculo cooperire consueuisse: ita fecit hic vermiculus noster CHRISTVS IESVS: qui cum diabolum ipsumq; Luciferũ Leuiathan, balenæ videlicet marinæ comparatũ, capere velet, hamum diuinitatis suæ cooperuit vermiculo humanitatis suæ; quàm dũ deuorare vult Sathan, & capit, capitur: de quo plura superius diximus, ex D. Gregorio, Beda, & alijs.

Tertio, vermis fuit ob teneritudinem. 2. *Re* 23.8 Figura in Dauide pulchra nimis. NOTA.

Postremò, comparatur vermi propter teneritudinẽ. Scimus enim cũ experientia; tum è scriptura, vermem rem tenerrimã esse. Nã in laudibus Dauidis, figurã Christi gerentis, dicitur: *Dauid sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres; ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Pulcrum elogiũ Dauidis; sed multò pulchrius filij Dauid CHRISTI IESV. Subsistamus hic parumper; vt reliquũ historiæ diei hodiernæ percurramus. Quonam modo hic filius Dauid *sedens in cathedra*, nempè in

cruce

cruce docuerit ſuos, in prioribus concionibus bis iam à me explicatū audiſtis: nec eſt quod repetamus; ſed eſt quòd diligenter perpendamus; quomodo *ſapientiſsimus princeps* IESVS, non *inter tres*, ſed ſimpliciter præ omnibus hominibus, cū morti ſe accingeret, diſtribuerit bona ſua. Audite rogo & ſectamini. Minima bona ſunt bona externa. Hæc immobilia quidem, quæ vocantur, nulla habuit. Nā deerat illi vbi caput reclinaret ſuum: mobilia verò, ſi quæ in burſa communi fuere, abſtulit traditor. Solæ igitur veſtes ei remanebant: has dedit carnificibus, qui illum crucifixerunt. Videtis quanti hæc ipſe æſtimet? Neque tunc modo; ſed etiā nunc idem facit. Aſpicite quā vocamus mappā mundi, & videte; quàm paucas terrenas ditiones totius orbis occupent boni & pij Catholici, præ Ethnicis, Turcis, Tartaris, Hæreticis, Schiſmaticis, cæteriſq; impijs. O ſi hæc ita, vti conuenit conſyderaremus: quā eſſemus moderatiores in iſtis conſectandis, quā nunc ſumus: quam multi eſſemus obedientes dicto illi Apoſtoli: *Habentes autē alimēta & quibus, tegamur, his cōtenti ſimus.* Regulam do ex facto Chriſti. Si affluunt diuitiæ, vide ne cor apponas; ſed vt bene illis vtaris. Si deſunt, vide ne angaris; cum noris, id non eſſe ſignum gratiæ Chriſti, quòd datur crucifixoribus Chriſti.

Chriſtus ſapientiſsim' princeps diſtribuit ſua. 1

Bona externa carnificibus. *Mat.* 8.20

Quod & nunc ſæpè facit.

*1.Tim.*6.8 Regula.

Deinde iniurias & pænas, quas tulit & pertullit acerbiſſimas, atrociſſimas, crudeliſſimas,

2. Iniurias in ſe collatas,

& orationẽ donat inimicis. ſimas, condonat inimicis: inſuper etiam orat pro eis. Duo igitur illis donat? tum iniurias, tum orationẽ. O aurea & neceſſaria doctrina; quam ſi omnes Chriſtiani ſectarentur, quàm cito ruinæ cæleſtes implerentur? Poſtea theſaurũ quẽ habuit præcioſiſſimum,

3\. Matrem Ioanni, & hũc matri tradit. dedit diſcipulo ſuo; Mariam inquã matrem ſuam Ioanni, & Ioannem Mariæ. Qua de cauſa? Duplici: vnã iam antè audiſtis: nempè, quia Virginem virgini commendauit. Alteram ipſum Euangelium inſinuat; quia ſub

Docetque perſeuerantia coronari cruce perſeuerauerunt cũ IESV. Fac tu idẽ, caſte iuxta tuum ſtatum viuas, & ſtes perſeueranter ſub cruce; quã aut ipſe IESVS tibi impoſuit, aut tu pro amore eius vltro eam ſuſcepiſti: & nihil dubites, tibi Mariam matrẽ IESV; te verò *Mariæ* à IESV commendatum iri. O fælix anima, cui id contigerit.

4\. Paradiſum donat latroni. Quid præterea? Dat & donat liberaliter, paradiſum; non terrenum, ſed cæleſtem (vbi enim Chriſtus eſt, ibi cæleſtis paradiſus eſt) latroni; non latroni: olim enim latro fuit; ſed poſtquam de latrocinio ſuo pœnitentiã egit, non latro; ſed pius, ſed bonus, ſed ſanctus fuit: quod euentus & verba Chriſti comprobarunt. Tu ſi imitatus es illum in primò, (quis verò aliter de ſe ſentiet; qui quot animas malo ſuo exemplo mactauerit, ſeriò conſiderabit) imitare etiam in ſecundò.

5\. Robur ſuũ dat fidelibus. Nec differas; ne tibi quod ſiniſtro latroni eueniat. Poſtea donat nobis robur ſuum; ...

accipit

accipit in se infirmitatem nostram: iuxta quàm inquit: DEVS MEVS VT QVID DERELIQVISTI ME. Et iterum, inquit, SITIO. Rem euentus probauit: tum in Apostolis, qui cœsi *ibant gaudentes*; tum in alijs martyribus, etiam fœminis; quæ ad tormenta sicut ad nuptias currebant: tum in innumeris alijs; qui sitim, famem, & alia corporis incommoda grauissima lætissimi pro Christo sustinebant: in quorum numero Paulus Apostolus seipsum collocat. Posthæc dicens; CONSVMMATVM EST, dedit Iudæis quidem finem veteris; Christianis verò initium noui testamenti. Ideò Centurio & Longinus Ethnici conuertuntur: ideò summus Pontifex in decretis errare incipit; quòd nunquam alias fecit: ideò velum templi scinditur; vt interna & spiritualia, externis & corporalibus succedant. Tene Catholice quod accepisti, & ita viue, vt tu quoque in extremis positus, in veritate dicere queas; CONSVMMATVM EST. Necnon illud postremum; PATER IN MANVS TVAS COMMENDO SPIRITVM MEVM. quibus verbis CHRISTVS; quod vltimum & præstantissimum habuit, Deo Patri tradidit.

Act. 5. 41.
2. Cor. 11. 27.
6. Dat finem veteris, principium noui testamẽti
7. Spiritum suum Patri tradidit.

Hæc *sapientissimus princeps*, ex Cathedra sua. Iam reliquum Prophetiæ prosequamur. Fuit enim CHRISTVS non solum Princeps; sed etiam *quasi tenerrimus ligni vermiculus*. Tenerrimus inquam, quia nullus vnquam

Christus *tenerrimus* grauissimos suffert dolores.

vnquam illo fuit complexionis tenerioris: idcirco etiam parua tormenta magnos ei inferebant cruciatus: quid tanta & talia? Hæc tu cogita, & gratus esto. Fuit & *ligni vermiculus:* tum quòd in ligno pependerit; tum quod lignum per quod mors in mundum intrauit, absq; dentibus corroserit. Denique iste tam debilis & infirmus vermiculus; non *octingentos*, vt Dauid; sed planè innumeros tum Idololatras, tum dæmones hodie *interfecit impetu vno:* illis quidem gratiam conuersionis merendo; hos verò per *cornua* quæ erant *in manibus eius*, clauos videlicet & crucem, ventilando, ac virus vireſque illorum debilitando, dominiumque auferendo. O poteſtas, ô bonitas.

Christus *ligni vermiculus* dupliciter.

Christus *interfecit impetu vno* innumeros.

Cornua in manibus eius.

Qua verò cum charitate hæc peregerit vniuersa; tum Sanctiſſima Trinitas tradendo, tum Verbum incarnatum patiendo, quis enarrabit? imò quis vel mente aſſequi poterit? Attingamus quædam contemplando, & conferendo exceſſiuos amores, cum factis Dei & IESV. Itaque primum ingentis amoris ſignum eſt, cum quis pro minori bono quod deſiderat, dat multò maius; imò maximum. Ita fecit Deus Pater; qui vt ſeruum ſaluaret, vnicum Filium tradidit ad tanta tormenta. Id teſtatur tum Iſa. vt iam audiſtis; tum ipſe Filius Dei, cum inquit. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Secundum, Quando quis propter rem viliſſi-

Hab. 3. 4.
Pſal. 43. 6.
TERTIO, Qua cum charitate hæc peracta fuerint.

Signa ſtupēdi amoris.
1. Cum maximū pro minimo datur Id fecit Deus Pater.
Iſa. 53. 8.
2. Cum ſupremus patitur

vilissimam exponit se magnis periculis, & subit ea. Ita filius Dei, verbum Patris; vt vilissimum & ingratissimum mancipium redimeret, iniecit se hodie in mare tormentorum, per quæ & mortem subijt turpissimam: Quare? vt vitam daret homini scelerato.

pro [illegible], sic Filius Dei. *Ioan 3. 16.*

Tertium indicium maximi amoris est, cum quis contristat suos, vt soletur quem amat; licet & vilem, & ingratum, nequam. Sic fecit Spiritus Sanctus, quando deseruit eum, à quo procedit, & qui secundum humanitatem ex virgine ipso superueniente natus est: hunc enim ita deseruit, vt clamaret quòd paulò ante audistis: DEVS MEVS. &c. Fecit autem id; vt consolationes daret spirituales homini, qui toties eum contristauit; & adhuc, teste Apostolo, contristat.

3. Cum optimus deseritur, vt nequam solamen habeat. Id egit Spiritus sanct.

Quartum, cum quis propter eum quem amat, obliuiscitur honoris & auctoritatis suæ. Ita Sanctissima Trinitas propter hominem redimendum, obnubilauit quodammodo & obumbrauit attributa sua omnia: cum omnipotens factus est quasi impotens, omnibus se percutientibus cedens: cum sapientissimus, pro stulto reputatus est; tum ab Herode, tum à Iudæis, tum ab Ethnicis. Cum gloriosissimus innumeris afficitur ignominijs: cum optimus pro latrone pendens inter latrones reputatur: cum ipsa iustitia iniuste iudicatur: ipsa æternitas moritur: ipsa immortabilitas patitur. Quis ad hæc stupenda diuini

4. Cum honor nobilissimus obscuratur ob ignobilem. *Eph. 5. 30.* Id Trinitatis opus.

Christi verò IESV insuper amor elucet.

5. Quia quod parui haberi potuit, maximi emit. NOTA. Psal. 39. 8.

diuini in nos amoris ſigna non obſtupeſcat!

Præter hæc, in ipſo verbo incarnato CHRISTO IESV, & alia ſimilia amoris monumenta perpendere, & poſſumus & debemus. Nonnè magni deſyderij & amoris ſignum eſt; quod paruo precio habere queas, magno emere? Id verò fecit CHRISTVS: qui cum vna gutta ſanguinis ſui; imò ſolo actu oblationis poſt incarnationem, cum impletum eſt illud Dauidicum: *Et dixi ecce venio*, poſſet redimere genus humanum vniuerſum, amore ſtipulante, totum quem habuit effudit pro nobis ſuum ſacrum cruorem, vſque ad vltimam guttam, quæ circa cor latebat; quam lancea aperto latere extrahi ſibi paſſus eſt poſt mortem. O amor.

6. Quia maiora ſemper ſuſtinuit.

Sed & inde ſumma ipſius erga nos charitas viſitur; quod non ſolum in omnibus quæ habuit, nempè, in anima, corpore, fama, & alijs cruciatus ſuſtinuit; ſed etiam ita illos diſpoſuit, vt attrociores ſemper ſuccederent. O miranda, veneranda, amanda, tua Chriſte conſilia.

7. Quia pro inimicis mortuus, quod Pau. teſtatur. Rom. 5. 6.

Expreſſit & aliud immenſum amoris erga nos argumentum Paulus, cum mirando, inquit: *Chriſtus pro impijs mortuus eſt*: cauſamq; admirationis ſuæ adfert: *vix enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori*. Audis quomodo dubitat, an reperiatur quiſpiam, qui pro bono moriatur? pro ſcelerato verò mori inauditum reputat? Quod tamen fecit CHRISTVS IESVS. Sit nomen eius benedi-

benedictum in æternum. Fuit præterea amor CHRISTI; non vt motus violentus, qui in fine flaccescit; sed per modum naturæ, cuius est proprium, quo magis termino appropinquat, eo fortius moueri. Ita IESVS quo plus morti appropinquabat, eò intensius amabat. Fuit insuper verus amor amicitiæ; cuius munus est, in amore nullum proprium, sed commodum amati quærere. O quàm id in CHRISTO verum, in nobis rarum. Fuit denique & vnitiuus nimium, & excessiuus vehementer.

8. Fuit amor in fine intensior.

9. Verus amicitiæ.

10. Excessiuus.

Quid verò pro his omnibus reddemus illi? Non video charissimi: nec puto quicquam in mundo inueniri, quòd amori respondere queat aliud; quam amor ipse. At inquis talem ego reddere amorem nequeo CHRISTO, qualem ipse mihi exhibuit. Id quidem certissimum: sed & illud verum; IESVM quę ipsius est bonitas, amanter suscepturum si dederis talem, qualem dare vales. Id igitur agamus obsecro, & per viscera amoris eius obtestor. Modos quibus id fieri debeat, alias frequenter præscripsi: nunc quia multis agendi tempus non datur, istud tantum inculco; vt perpendentes quæ recensuimus miranda in nos diuini amoris argumenta, totis viribus Deum, CHRISTVMQVE IESVM redamare studeamus. Nam & si ad eam perfectionem pertingere nemo; illam tamen imitari, omnes possunt. Demus aliquot e-

QVARTO. Retribuendus amor pro amore.

Modus imitando Deũ.

Exempla euarum. NOTA. xempla: Mortuus est IESVS pro inimicis; desine tu esse eius inimicus: sed age pœnitentiam; quæ initium est amoris Dei: simulq́; sis paratus in posterum, mori potius, quam IESVM peccato lætali offendere: id enim est veri amici. Rursum, emit te CHRISTVS magni, nempè sanguine suo diuino; emas tu illum paruo, facultates tuas pauperibus erogando, & opera misericordiæ exercendo; vt ipse te docuit. Item dedit Pater maximum pro minimo; des tu illi minimum pro maximo. Quid enim minus corde tuo? quid verò maius Deo? Fac igitur vt cor tuum thronus Dei sit perpetuus: fac ne quid aliud velis, quam diuinam implere voluntatem: fac vt quantum vales puro corde, ames Deum. Cor enim receptaculum amoris est. Ad instar horum tu plura ex dictis collige, & tibi applica, diuinamq́ue in te charitatem excitare, augere, perficere satage. Nos verò vnde cœpimus ibidem finiamus.

Conclusio, ECCE HOMO. Itaque clamo iterum, iterumq́ue: ECCE HOMO. O anima Christiana, homo inquam, propter nos, & propter nostram salutem, reprobatus à synagoga, cum tanta quanta audiuistis impietate: cruci affixus ab Ethnicis, cum tanta crudelitate: oblatus à Patre, cum tanta charitate: deploratus à Matre, cum tanto dolore: susceptus ab Ecclesia, cum tanto honore: ECCE HOMO. Intuimini Aspiciamus eum. & imitamini eū, singula membra corporis ipsius

ipsius: & cum matre vestra Ecclesia honorate eum; non verbis tantum & lingua, sed magis opere & veritate. ECCE HOMO. Aspicite ergo eum vos inprimis ô pontifices, & pastores: aspicite summum Pontificem, & Pastorem, animam suam ponentem pro ouibus suis; vt & vos ad id præstandum armemini. Aspicite sacerdotes primum sacerdotum, hostiam immaculatam Patri immaculatè offerentem; vt & vos sancti & immaculati existentes, Sanctissimam hostiam istam quotidie sancte offerre Deo valeatis. Aspicite Reges, Nobiles, Domini, Regem regum & Dominum dominantium, corona spinea redimitum, pendentem in cruce; vt vos tum à tyrannide, tum ab omni inordinato honoris ambitu absterreat. Aspicite iudices supremum iudicem, iniustè condemnatum; vt vos vestri admoneamini officij. Aspicite denique verbis vos alloquar Apostoli; O Christiani vniuersi. *Aspicite ad autorem fidei, & consumatorem IESVM; qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta.* Aspiciamus igitur dilectissimi, *ad autorem fidei* nostrę, illique fidem datam seruemus fideliter; aspiciamus *ad consummatorem IESVM*; vt & nos, iuxta vocationem quilibet suam consummati reperiamur. Sustinuit ille voluntariè crucem propter nos: sustineamus nos quoque ea, quæ nobis impo sita fuerint, libenter, & alacriter. Contempsit confusionem Do-

Pontifices.

Sacerdotes.

Reges. *Apo. 19. 14.*

Iudices.

Omnes ex D. Paulo. *Heb. 12. 2.*

minus IESVS; cui omnis honor & gloria debebatur, confuſionem noſtri cauſa tolerando: contemnamus & nos, qui omni confuſione digni ſumus eam, propter illum, obſecro & obteſtor: ita vt nullum propter quamuis confuſionem tolerandam, peccatum mortiferum committamus vnquam. Id enim ſi fecerimus, ad propoſitum gaudium perueniemus certiſſimè; Vbi CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum, viuentem & regnãtem in æternum videbimus. AMEN.





